

1810 = 1810

/ Serenissimae Dominae meae semper observandissimae. Quod Cel-
situdines Vestrae Serenissimae mihi precentur felicem annum jam
labi incipientem, non possum non gratis agere, cum id ex pia cha-
ritate proficisci dubium habere non possim. Utrum autem mihi expe-
5 diat diutius vivere, an ex hoc mundo exire, Dominus novit. Illud
mihi notissimum est, me non esse, neque unquam fuisse Ecclesiae ne-
cessarium; propterea non audeo cum sancto Martino dicere: Domine,
si Ecclesiae tuae sum necessarius, non recuso laborem. Et quia ne-
que mihi constat, utrum odio, vel amore dignus sim, ideo neque cum
10 Apostolo dicere possum: Cupio dissolvi, et esse cum Christo. Itaque
illud unum mihi superest, ut toto corde desiderem fieri de me, quod
beneplacitum est Deo; atque hoc peto a Serenissimis Celsitudinibus
Vestris, ut sanctis, et purissimis orationibus suis mihi a Domino
impetrent, ut semper acquiescam beneplacito Domini mei, sive me
15 ibi tandem requiescere, sive diutius laborare in vinea sua velit.

Scimus et dolemus Serenissimam Domum Vestram injuste vexari; et
a Deo, pro nostra pusillitate, petimus, et petemus, ut pacem faciat
in diebus nostris, et familiam omnium nobilissimam, et piissimam
semper et ubique protegat, et exaltet. His valeant Serenissimae Do-
20 minae meae, quibus ego vicissim precor a Deo annum jam inchoatum,
et multis consequentibus plenos operum bonorum: ut cum sonuerit vox
de coelo, ecce Sponsus venit, exite obviam ei, non opus sit emendi-
care oleum cum virginibus fatuis, ne lampades extinguantur, sed
cum virginibus prudentibus lampades oleo plenas, et lucidissimas
25 praeferentes ingrediantur cum Sponso coelesti ad nuptias sempiter-
nas. Romae die 25 Januarii 1617.